



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti**

**Stengel, Carl**

**[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV**

XV. Ianvarii. S. Bonitvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38356**

**S** BONITVS patre Theodato, matre Syagriâ natus, Adolescens in aula regis primos honores consecutus est, ita vt etiam præfecturam Massiliensem acceperit, quam etiam summâ æquitate & dexteritate administravit, in pauperes & captiuos præcipuè misericors, sibi verò ipsi rigidus. Successit dein Auito fratri in Episcopatu Aruernensi, sed postea arctioris vitæ studio inflammatus Episcopatu relicto Monasterium Magnilocense petijt, monasticoq; habitu sumpto, in bonis operibus perseverans, clarus miraculis quieuit in Domino XV. Ian. Idem cum se totum contulisset ad perfectè amandum Christum, & eius sanctissimam Genitricem, quodam tempore cum turbis ingressus templum S. Michaelis, in angulum se abscondit. Peractis mysteriis, alijs abscedentibus, ille in suo permansit latibulo; talisq; ei proluxè oranti visio oblata est: Repente è cælo insonuit vox tanquam suavis melodia, & micantibus luminarijs vir Sanctus quasi multitudinem quandam conspexit eò adventantium. Ingressa autem in templum est V. M. MARIA cum candidissimo Angelorum & Sanctorum hominum cœtu, tanquam Regina circumstante exercitu. Cantabant autem omnes illi laudes Christo & Matri eius: Atq; ipsa etiam sanctissima Virgo in laudibus Filij sui vocem exercebat suam. Procedebant autem per medium templi chororum; cumq; ventum esset ad Altare, quesitum est à Sanctis nonnullis, quisnam Missam celebraret. Tum Virgo Beata: Ecce, inquit, adest hic Bonitus, Prasul vere bonus, & benè dignus, cui hoc muneris demandetur. Audiens hoc ille extimuit, seq; subducere conabatur: cui sane lapis cecidit, in quo hodieq; eius rei apparent vestigia. Tandem quesitus, & inventus, ad illum beatissimum Conuentum perductus est, Sanctisq; ministrantibus, vestibus sacris indutus est, & diuina ara applicatus. Consummato autem ea, quâ par erat, ratione sancto illo opere, Beatissima Virgo valesfaciens dilecto suo, pro munere celestem illi candoris eximij vestem largita est.

Ex vita ap. Sur.



S. BONITVS EPISCOPVS ORD: S. BEN.  
 Arvernorum Praesul cum esset, ei noctu in ecclesia per-  
 noctanti B.V. Maria Angelorum et sanctorum stipata  
 choro apparuit, et uestim mirificam obtulit. Obijt .  
 XV. Ian. circa. DCCXXVI.

*Handwritten notes on the right edge of the page:*  
 In diebus  
 s. Bonifacii  
 III  
 5

III 2

XXIII. IA.